

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1281

Auteur(s) : Guillaume le Bret [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1280, 21 janvier

Lieu d'émission : Rubercy

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume dit Le Bret donne en pure et perpétuelle aumône et garantit à l'église et au chapitre de Bayeux une rente annuelle de 2 setiers d'orge sur toutes ses dîmes et portions de dîmes à Rubercy. Un tiers de cette rente servira à mettre et à alimenter une lampe, qui brûlera chaque jour, devant l'autel de saint Gilles ; deux autres tiers, à allumer chaque jour un cierge sur le maitre-autel. Le chapitre lui verse 10 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DVI, t. 2, p. 251-252.

Dissertation critique

Le 21 janvier 1279 est proposé par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Noverint universi, præsentis et futuri, quod ego Guillermus dictus Le Bret, de parrochia de Reberchil, de voluntate et assensu Johannis dicti Le Bret, nepotis mei, dedi, concessi, penitus et quitavi, in puram et perpetuam elemosinam, Deo, et ecclesie Baiocensi, et ejusdem capitulo duos sexteros ordeï, ad mensuram Baiocensem, percipiendos annuatim, mense septembri, per manum dicti Johannis, nepotis mei, in totis decimis et portionibus illis decimarum, quas ego Guillermus et dictus Johannes habemus et jure hæreditario possidemus in parrochia prædicta : quos dictos duos sexteros ordeï, ad dictam mensuram, ratione cujusdam compositionis inter me et ipsum initæ, michi facere annui redditus tenebatur. Pro quibus autem duobus sexteriis ordeï singulis annis percipiendis et habendis, libere, pacifice, et quiete, dictum capitulum, in totis nostris decimis ubicumque reponantur, sive in campis, sive in granchia, quodcumque voluerit, sine reclamacione nostrum vel hæredum nostrorum, suam justiciam poterit plenariam exercere, ita tamen quod ego Guillermus, et dictus Johannes, aut nostri hæredes, de cetero non poterimus dictas decimas vendere, distrahere, alienare, elemosinare, aut extra manus nostras aliquo modo ponere, nisi de licentia dicti capituli fuerit speciali. Et ego Guillermus, et dictus Johannes qui ad hæc et ad rogatum meum se consensit, et nostri hæredes, tenemur et debemus, de cetero, præfato capitulo dictos duos sexteros ordeï annui redditus acquitare, defendere, et garantizare contra omnes, vel in nostra propria hæreditate excambiare, et elemosinare, si necesse fuerit, valore ad valorem, competenter. Quorum quidem dictorum duorum sexteriorum ordeï tertia pars et valor ejusdem convertetur ad faciendum et inveniendum quandam lampadem singulis diebus

ardentem, et oleum in eadem, in prædicta ecclesia Baiocensi, coram altari sancti Ægidii, et in honore ejusdem ; et duæ partes residuæ et valor earundem convertentur ad faciendum et inveniendum, singulis diebus similiter, quemdam cereum ardentem in dicta ecclesia, supra majus altare, prout diebus præteritis fieri consuevit. Pro quibus autem donatione, concessione, quitatione, defensione, acquitatione, et garantizatione si necesse fuerit facienda, dictum capitulum dedit michi decem libras Turonenses de bonis bonæ memoriæ Johannis dicti de Blaagneo, presbiteri quondam deservientis altari sancti Ægidii supradicto. Et, ut hoc sit firmum et stabile in futurum, ego Guillermus, et dictus Johannes, nepos, ad petitionem meam, sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum et actum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, die dominica post festum sanctorum Sebastiani et Fabiani, mense januarii, coram parrochia prædicta.